

Coniectanea.

I De Scribonio Largo pauca narrabo, cuius compositiones medicas etiamnum habemus docte illustratas ab Iohanne Rhodio Patavii a. 1655, denuo editas a Bernholdo Argentorati a. 1786. non multi has legunt, non nulli ipsum scriptorem hodie quoque Designatianum vocant agnomine ficto. quando ille scripserit, statim explorare certius conabor, interim adquiescamus ea definitione temporum quae cum apertissima sit, ne veteres quidem editores latuit. tradidit enim hunc librum C. Iulio Callisto liberto Claudii Caesaris gratia potentissimo, quem in primo in medio in extremo volumine adpellat (*Gai Iuli Calliste* et *Gai Iuli et mi Calliste*), herbam quandam se vidisse ait in Lunae portu *cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare* c. 163, dentifricia memorat c. 60 quibus usae sunt Octavia Augusti soror et Augusta, *nam Messalina dei nostri Caesaris hoc utitur* diverso ab illis. Britannicam expeditionem Claudius anno 43 suscepit et post menses sex in urbem rediens anno insequente finivit, Messalina periit anno 48 circa kal. Octobres. scripsit igitur Scribonius intra annos 44 et 48. per diu fuit cum exercere medicus coeperat artem pecuniae ac laudis fructibus fecundam. tres ipse nominat a quibus eam didicerit praeceptores. Valentem in compositionum indice ad c. 91 praeceptorem suum dicit, in c. 94 sibi proximum aetate esse declarat utpote iunctum condiscipulatu. recte Valentem hunc credunt Vettium, medicum admodum nobilem, novae sectae conditorem, ex adulterio Messalinae simul cum illa occisum. Appuleius Celsus alter praeceptor fuerat, idem Valenti et Scribonio (c. 94), ex Sicilia ortus Centuripis, quod in oppidum *genere quodam publice* mittere solebat quotannis compositionem bene facientem ad morsum canis rabiosi (c. 171). haud scio an Scribonius quoque Siculus fuerit origine: narrat enim in Sicilia plurimos fieri rabiosos canes (c. 171), ibi plurimum nasci quod in Italiae regionibus paene nusquam viderit trifolium acutum (c. 163), ibi

cervi oculorum sordes diligenter colligi a venatoribus (c. 163), Paccium Antiochum auditorem fuisse Philonidis Catinensis (c. 97), collyriis quibusdam (29. 30) crocum Siculum id est Centuripinum immiscet. solent autem etiam medicamentis quae inveniunt medici suae originis vestigia imprimere, velut in compositione colica qua muliercula quaedam Romae ex Africa sanaverat multos, quam Scribonius pretio magno ab ea emit, cochlea adsumitur *Africana id est inde adlata* (c. 122). se vero ipsum compositionum plurimas composuisse in fine libri Scribonius adseverat idque fide dignissimum est, licet enim non nova aut ignota fuerit materia sed praescripta a superioribus medicis ac tralaticia, novis tamen utebatur ponderibus mensuris figuris. certe quidem Aetnaearum regionum notitiam illa collyria prae se ferunt sive a Scribonio sive ab Appuleio vel Philonide inventa. tertius praeceptor indicatur c. 175: emplastrum antidotum quod Augusta habuit compositum et multis profuit, *accepimus a Tryphone praeceptore nostro*. duo erant Tryphones, alterum Scribonius in compositionibus quae ad chirurgos pertinent identidem adposito chirurgi nomine distinguit (201 *emplastrum chirurgi Tryphonis*, 203 205 210, 240 *Tryphon chirurgus*). Cornelius Celsus in praefatione libri VII inter professores non mediocres qui Romae nuper auxerint disciplinam medicinae eius quae manu curat, primum numerat Tryphonem patrem. filius igitur praeceptor Scribonii fuit, qui factum patris memorabile refert c. 231 medicamentum describens quo stigmata tollantur iniusta indignis: hanc enim calamitatem ex transverso multis accidisse, *ut dispensatori Sabini Calvi naufragio in ergastulo deprehenso, quem Tryphon multis delusum et ne casu quidem litteras confusas ullo medicamento habentem liberavit*. ubi recte emendatum est *Calvisi*, Pignorius praeterea mutavit *naufrago*, membranae veteres aliquando docebunt utrum hoc verum sit an plus syllabarum interciderit, certe Calvisii dispensator dicitur ex naufragio in vincula incidisse poenasque servorum gravissimas, cavendumque est ne quis *τὰ ναύαγα* intellegat Calvisii proelio navali coorta anno urbis *δcccxvi* (Appianus b. civ. V 87). hic sine dubio ille Calvisius est quem Seneca epist. 27, 5 memoria sua fuisse divitem scribit, hominem beatum indecenter qui et patrimonium habuerit libertini et ingenium. factum igitur est quod Scribonius narrat extremo Augusti aut primo Tiberii Caesaris principatu (cf. Seneca ep. 108, 22). Trypho filius videtur idem esse cum Tryphone ex Creta Gortynio cuius medicamenta Galenus XIII p. 246 et 253 K. commemorat, itaque hospitium quod Scribonio intercessit cum Zopyro legato ex Creta misso Gortyniense medico (c. 172),

deduci potest e disciplina communi Tryphonis. ab his instructus medicinam ipse adgressus est Scribonius multisque annis factitavit, saepe dolores diutinos tollens (c. 229) multos sanavit aut saltem non interemit, unguentarii cuiusdam servum c. 118 nec minus homines *aliquot non ignotos quorum nomina supervacuum est referre* c. 122, poterat nominare honestas feminas a Paccio aut se sanatas remedio certo, sed quia credit fidem sibi habere Callistum dicere noluit c. 102, aliquotiens magnum scientiae titulum consecutus est ex usu prospere datorum medicamentorum praef. 5, interdum profectus disciplinae supra fidem atque opinionem plurimorum exhibuit praef. 21. hinc in amicitiam Callisti pervenisse videtur et in principis aulam comitatumque Britannicum. omnis generis medicamenta curiose quaesit, audivit narrantes c. 151, narrat quod adfirmavit Ambrosius medicus Puteolanus perstringitque quam is adiecerat superstitionem c. 152, scit quendam medicum acopo usum in noctem ad podagram c. 161, scit Romae quendam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse c. 16, a muliere Afra accipit compositionem pretio dato quantum desideraverat c. 122, ex morsu canis rabiosi correptum morbo ipse scit neminem adhuc expeditum esse, verum cum audisset esse barbarum quendam maiorem natu publice etiam mercedem accipientem in insula Creta qui eo vitio liberaret, operam dedit ut sciret quo ille remedio uteretur idque iam domi habet paratum c. 171 172. nimirum fatetur non sine pudore semotos a disciplina ac professione medicinae interdum velut praesenti numine opem tulisse aegro, humiles et ignotos posse tamen usu esse peritiores praef. 3. quamquam non ultra modum superstitiosus, ad morbum comitalem quae profuisse quibusdam visa erant, ut ex iecinore gladiatoris iugulati particula daretur, ut hinnulus cuius coagulum daretur occideretur cultro quo gladiator iugulatus esset, talia extra medicinae professionem cadere dicit culpamque a se removet in eum qui monstravit remedium c. 17 13. nobilitat quorundam usum medicamentorum exemplis Augusti c. 31 177, Octaviae sororis eius 60, Augustae 60 70 175 268 271, Ti. Caesaris 120, Antoniae Claudii matris 271, Messalinae Claudii uxoris 60. his unus adiungitur c. 162 liberatus podagra Anteros Tiberii libertus supra hereditates (cf. Atimetus Pamphili Ti. Caesaris Aug. l. l. Anterotianus in carmine sepulcrali AL. Meyeri 1274): conicias eum aliqua necessitudine propiorem aut ipsi fuisse aut Callisto. veterum medicamentorum quis auctor sit aut feratur, maxime in ea medicinae parte indicat a qua ipse erat alienior, chirurgos nominans Tryphonem et Euelpistum 215 et Megetem 202 239 quos tan-

quam novissimos artis auctores Cornelius Celsus commemoravit, praeterea Thraseam 204 208, Glyconem 206 207, Aristum 209 211, Dionysium 212 213. pauciora in ceteris nomina apparent, Graecos habes Antipatrum 167 Zopyrum 169 Andronem 63 224 alibi, Romanos Musam Antonium 110, Marcianum cuius antidotos Augusto componebatur 177, Iulium Bassum 121, Cassium medicum 120 176, Paccium Antiochum 97 156 220, ex quibus nullus imperantem vidit Claudium, immo nullus Tiberii aetatem excessit. his adde supra nominatos praeceptores Scribonii et quos suae fidei vindicandae causa produxit Ambrosium medicum Puteolanum, si modo vitam ille etiamtum agebat, et Zopyrum medicum Gortynium. siquis novam compositionem et efficacem adhibuerat, non solum omnia fecit Scribonius ut sciret quae esset, sed etiam plurimum elaboravit ut veram et incorruptam acciperet (c. 97 38). Paccius hieran suam ex qua magnos quaestus faciebat, dum vixit celarat omnes, neque ullo modo extrahere eam Scribonius potuerat, ipse enim ille clusus componebat suosque fallebat plura quam opus erat pigmenta contundi iubens. post mortem eius Tiberio Caesari per libellum scriptum ad eum data et in bibliothecis publicis posita venit in manus Scribonii, qui postquam efficacissimam eam expertus est, libellum illum secutus varios usus perscribit c. 97 — 107. graeco sermone libellum suspicor scriptum fuisse, hoc suadent graeca multa morborum nomina quae Scribonius interpretatur latine et non nullae locutiones, c. 105 *inrequiebili ut ita dicam et inextinguibili siti: ἀναφοτος δίψα*. Cassii colicen multis notam propter effectus Scribonius veram tradit c. 120, *ut ab eius servo Atimeto accepi, legato Tiberii Caesaris, quia is eam solitus erat ei componere*. verba varie temptata ab aliis mihi sic explicanda videntur ut Atimetus Cassii servus postea Tiberii fuerit ex legato, Atimetus Ti. Caesaris Casianus. quaeras hoc loco num Cornelii Celsi de medicina libros Scribonius manu versarit: non credo. cur versaret? nam elegantiam sermonis medicus humilis non magni aestimabat. quid inde disceret? nam Celsus nihilo magis medicus fuit quam agricola aut miles. quidquid his diebus Schanzius attulit quo contrariam sententiam probaret (musei rhen. XXXVI p. 364), vereor ne falsa specie simulet imitationem, nam ut disciplina artis tradebatur, ut argumenta rerum semel tractata iterum ac saepius retractabantur, non potuit fieri in huiusmodi libris quin vocabula et enuntiata multa concinerent. nec latine loqui medicinam Celsus instituerat primus neque in rebus quidquam invenerat. hic IV 4 volgi auctoritate nisus, quamquam in monumentis medicorum non legerat, inserit operi suo pro-

desse ad anginam pullum hirundinis combustum, indiligerter nec pondus adicit et praetermittit cetera quae non modo medicus sed etiam experturus homo aeger habet necessaria. Scribonius c. 70 ad anginam facientia duo scribit medicamenta ex cinere pullorum hirundinum, diligenter usque quaque perscribit, alterum Augustam semper compositum habuisse adicit. unde concludas repraesentasse fere Augustae aetatis artem suis Celsum praeceptis, Tiberianae Scribonium. non pugnat hic cum Celso sed concordat potius, velut uterque implicitas inter se medicinae partes et ita conexas esse statuit ut sine totius professionis detrimento diduci non possint (S. 200 C. VII praef.) et gradus artis hos facit ut primum victu succurrat laborantibus, tum medicamentis, denique secundo urendove (S. praef. 15). illis adversarius extitit Scribonius rixaturque cum eis qui medicamenta aut corrumpunt ac vitiant aut fastidiose contemnunt. itaque odit et damnat exsecratissimum pharmacopolam oppositum virtuti medicinae sic ut ex ceteris artibus nulla non habeat adversantem sibi specie similitudinis malignam professionem (c. 199), reprehendit pigmentarios institores qui detrectantes laborem non ex lacte capitum sed ex suco foliorum papaveris conficiant opium (c. 22). fuse lateque dicit in praefatione de eis qui medicamentorum usum necessarium esse negent, qui Asclepiadem maximum auctorem medicinae in suas partes trahant per mendacium, qui nomine tantum medici, sublata studendi necessitate antiquorum auctorum ignorantiam et falsa de eis comminiscendi audaciam adferant, Celsus Asclepiadem medicamentorum usum ex magna parte non sine causa sustulisse narraverat V praef., sustulisse febricitantibus III 4, id quod Scribonius a vero non abhorreere concedit praef. 16. in eosdem hic invehitur c. 84, quod imputent suam culpam medicamentis quasi nihil proficientibus, inertes non studeant scire necessaria ad conservandam vitam humanam quae aliorum labore reperta sint, polliceantur salutis custodiam unius cuiusque se facturos verum tamen magis sint ipsi custodiendi. namque sicunde sanguis erupisset artus constringi vi magna isti iusserant, vetat id Scribonius argumentis usus Asclepiadis cui nemo oblocutus sit, *quis enim adversus veritatem hiscere potest?* contra si non dixerat, at ausus erat hiscere Celsus IV 4, quod Asclepiades inimicum esse proposuisset, id saepe commode respondere experimenta testari adfirmans. tamen Celsus neque contemptor erat medicamentorum neque ex eo genere hominum quod ita deligatos in eruptione sanguinis sua imprudentia iugularret, alios Scribonius vellicat nescio quos in professione medicinae aemulos curationis diaeteticae sectatores. accepit Scribonius

ab aliis medicamenta sed raro (c. 38), plura novavit ut ipse praedicat, ut nomine eius denotata a Galeno medicamenta ostendunt. ad vesicae dolores ut aqua uteretur in quam ferrum candens demissum esset, hoc traxit ab aquis caldis quae sunt in Tuscia ferratae et appellantur vesicariae, *quondam Milonis Gracchi praetorii hominis optimi*, ad quinquagesimum lapidem c. 146. Gracchi praetoris a. 38 (Taciti ann. VI 16) Rhodius mentionem incit, Marcellus haec transcribens *Brocchi* posuit, errorem nominum, si est error, extricandum relinquo doctioribus. quae scribit medicamenta, eorum magnam partem habet compositam (c. 177), collyria interdum multa eodem nomine composita sed non eisdem ponderibus et rebus habet, quibus maxime probatis utitur ea refert monetque Callistum, ut si ocularii eius eadem se habere contendant, comparando pondera aut effectus videat ne longe diversa sint (c. 38). simplicia medicamenta praefert compositis, propria remedia monstrat, collyriorum nulli tantum tribuit quantum lycio Indico vero per se (c. 19), plura medicamenta eiusdem vitii tradit propter corporum varietatem differentiamque aetatum temporum locorum, omnium compositionum utilitatem aut ipse expertus est aut amici fidissimi, a quibus *paucas sed valde paucas* acceptas adiecit, sese expertos scire iuraverunt (in peroratione), remedium *ἰδρσοφοβίας* quod doctus est a Cretensibus adhuc non est expertus, quia ex quo paravit illud non incidit in eum morbum quisquam (c. 172). in librum contulit rogatus a Callisto quas in praesenti habuit compositiones, postea plures collecturus, scribit enim dum peregre est, non secuto eum nisi necessario admodum numero libellorum (praef. 22 25). ordinem tenet membrorum corporis a capite ad pedes, subnectit antidota et chirurgica, ut consummetur liber, malagmata et acopa adiecit (c. 178 200 254). perpauca orationi intexuit non ad rem pertinentia proprie aut notabili raritate iuventia: commemoro artificem cui nemo imaginem suam pingendam committat nisi probato atque electo, cum sine iudicio plerique se suosque tradant medico (praef. 17 cf. Phaedri fab. I 14), gladiatores frequenter contusione laborantes ex prolusionibus (101 sic ut legit Marcellus), coriarios qui malis granatis utuntur (41 85), venatores cervinum virus colligentes in Sicilia (163) quique emplastro Dionysii utuntur ad morsum quadrupedum (213). venatoriae et veterinariae artis coniunctio nuper apparuit ex Romano optumae aetatis titulo (*Bull. arch. comunale* 1880 p. 59) in quo Apollodorus servus vocatur *medicus equarius et venator*.

Callistus qui compositiones a Scribonio petierat, Caligulae libertus iam quo anno hic interfectus est, ditissimus potentissimus

petulantissimus occulta adulatione Claudium ut futurum regem coluisse traditur (Iosephus ant. XIX 1, 10) aususque gloriari, iussum se a domino Claudium veneno interimere mille eius negotioli invenisse moras. idem tum cum Messalina occisa est et quae in matrimonium mulier succederet aulici circumspicere coeperunt, anno 48 una cum Narcisso et Pallante ad flectendum Claudium officio gratiaque plurimum valebat. tum a libellis eum Caesari fuisse Zonaras declarat (XI 9 p. 564 ἐπὶ ταῖς βιβλοῖς τῶν ἀξιώσεων ἐπέτακτο) clarioque testimonio nihil momenti inde decedit, quod quae primarius historicus sub anno 48 posuerat, ut Tacitus ostendit ann. XI 29, Byzantinus ille aut Dio prioris anni enarrationi adglutinavit. ante Callistum autem munere eodem functus est Polybius quem studia litterarum in hanc fortunam eduxerant, quem Seneca describit audientem tot hominum milia, tot disponentem libellos, tantum rerum ex orbe toto coeuntium congestum per ordinem suum principis animo subicientem (cons. Polyb. 6). quo consilio hoc volumen a Seneca compositum putamus, consolandi Polybii causa an potius Caesaris ut aures sibi patefierent clementiorque voltus adrideret? missa est ad Polybium consolatio paulo ante triumphum Britannicum anno 43/44 (cap. 16), ex eo etiam adcrevit hominis potentia usque ad annum 47 quo Messalina suae lasciviae obnitentem repressit ac neci dedit (Dio LX 29 31 Seneca apocol. 13). neque igitur probabile est Callistum quam Polybius habuerat curam libellorum suscepisse ante huius interitum qui brevi antecessit principia annalis Tacitei XI. iam lege quae Scribonius de perseverante Callisti in se benivolentia narrat praef. 23: *adiutus omni tempore a te, praecipue vero his diebus. ut primum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium, tradendo scripta mea latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum potestatem tibi feceram ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi quid sentiret, plurimum enim iudicio tuo tribuo. tu porro candidissimo animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione non verbis sed re probasti, periculumque non minus tu [tui editum est] iudicii quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando consecrasti. fateor itaque libenter unicam me tibi gratias agere, quod et prius quam rogareris, consummasti amicissimo adfectu vota mea, quod contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem.* Callistus nuperrime ubi primum potuit, prius quam rogaretur Scribonii libros Caesari tradiderat, deinde cum laudatos Caesari dedicasset eoque nomine ipse quodam modo edidisset, speratos ab

amico fructus maturaverat. fac cogites quam ob causam Seneca adierit Polybium, animadvertas hunc Claudio simul fuisse a studiis, Dionysium Papirium posteriori imperatori *ἐπι βιβλειδίων καὶ ἀναγνώσεων* id est a libellis et lectionibus sive studiis (Friedlaender *morum rom.* I² p. 158), Iulium Vestinum Hadriano a studiis et a bibliothecis publicis, memineris quod supra scripsi relatam ab ipso Scribonio, Pacci mirificam compositionem Tiberio Caesari per libellum scriptum ad eum traditam et in bibliothecis publicis positam pervenisse in manus hominum: agnosces opinor in verbis illis Augusti libertum a libellis qui preces tractat iudicatque quas ferat ad dominum, qui huic suadet quid subscribat, qui scripta Scribonii Claudio tradit commendat adprobanda proponit ut Caesarum usibus ac saluti publicae consecrata bibliothecis latinis inferantur divolgenturque per librarios. modo inierat munus illud Callistus, ante dies aliquot, itaque si recte ratiocinatus sum, artatis finibus temporis parvum ac ne annum quidem spatium relinquitur intra quod compositiones has medicus ediderit, a Polybii ad Messalinae interitum a. 47/48. recentissimum manifesto fuit id quod refert c. 172, missum ex Creta legatum nomine Zopyrum Gortyniensem medicum hospitem suum, a quo monitus modo hyaenae inveniundae operam dederit iamque pellem habeat paratam. quam vellem addidisset legationis causam: nunc quis ausit repetere ex honoribus quibus Gortynii Valerium Asiaticum, immo *Ἀσιατικοῦ γυναικα δις ὑπάρχον* post kal. Ian. a. 46 adfecerant (CIG. 2587), quos opus erat detestari et deprecari simul ac damnatus tanquam latro Asiaticus cecidit a. 47? etiam hoc male me habet quod compositionis 168 non superest nisi index: *ad viperæ morsum proprie*. nec esse ab ingenio medelae spem ullam Rhodius pronuntiat, Dioscoridem tamen et Galenum ceterosque medicos copiam facere supplementi. ego quaerendum censeo non ab his, non a Columella, sed ab ipso Claudio Caesare, qui in censura anno 47 vel 48, tum opinor cum medicinalia Scribonii scripta cognoverat, inter alia edicta hoc proposuit *nihil aequè facere ad viperæ morsum quam taxi arboris sucum* (Suetonius Cl. 16). o Calliste, tibine debemus mutatam a Claudio litteraturam latinam? dissuasisset Polybius, si non omnia de hoc mentitus est adulator exsul, te amicus tuus arguit tam ingenio quam statu fuisse libertinum.

II Medicinae operam navasse iuvenis videtur Sophronius Damascenus Alexandriae doctus, sophista et monachus Palaestinus archiepiscopus Hierosolymitanus mortuus anno 638. cuius viri scripta non pauca extant pietatis tumidique sermonis monumenta congesta

in patrologia graeca Migniana t. LXXXVII 3, epigrammata aliquot in anthologiam Cephalae recepta sunt. Anacreonteis quae ille lusit carminibus in codice cui notitiam eorum debemus, statim subiuncta est *Σωφρονίου μοναχοῦ ιατροσοφιστοῦ εἰς τὸν Ἰωσήφ* ode tam similis, ut et Allatius et Matranga (in Mai spicilegio IV p. 30, in Mignianis p. 3732) eundem esse hunc iatrosophistam ac sanctum patriarcham coniecerint. quod probatur cum aliis librorum indiciiis in quibus multa medicinam olent ac *σοφιστής* vocatur *οὐ λόγους δημοικοὺς ἐξηγούμενος ἀλλὰ τέχνης ἱατρικῆς προσιτάμενος* (Gesius mirac. 30), tum universo volumine quod de miraculis ss. Cyri et Iohannis composuit quorum alter item medicus et monachus fuerat, tum eo quod inter amicos aut musae suae cultores quendam habuit huius ipsius artis sectatorem. ubi enim Sophronius martyrurum illorum finita laudatione miracula narraturus est, inter τὸ ἐγκώμιον et τῶν θαυμάτιων τὴν διήγησιν interposita leguntur duo epigrammata (Mai spicil. III p. 95 s., Mign. p. 3421 ss.) quorum posterius hoc est

Σενέκα ἱατροσοφιστοῦ

Κύρω ἀπεστορίης πανυπέριστα μέτρα λαχόντι

καὶ τῷ Ἰωάννῃ, μάρτυσι θεοπεσίοις,

Σωφρόνιος βλεφάρων ψυχάλγέα νοῦσον ἀλύξας

βαῖον ἀμειβόμενος τήνδ' ἀνέθηκε βίβλον.

fugit tam Sophronii editores quam Boissonadium et Duebnerum Palatinae anthologiae insertum id carmen esse inter christiana I 90 cum hoc titulo: *Σωφρονίου πατριάρχου Ἱεροσολύμων εἰς Κῦρον καὶ Ἰωάννην*. nulla ibi littera non congruit, nam καὶ τῷ in versu 2 editor novissimus mutavit praeter necessitatem, sed auctor falsus traditur, iam enim Senecam quendam medicum fecisse quis non credet? sexcenti huius generis errores in excerptorum libris, hic eo et proclivius ortus et magis ignoscendus quod alterum ac prius ordine epigramma reapse Sophronius finxit ipse suam laudans laudationem sanctorum. hoc quoque adscribam, quia et eget emendatione neque indignum videtur quod pluribus innotescat. resonat enim grata imago vocum ac modorum antiquiorum, eorum quos inde ab Alexandrino tempore sparsa per chartas lapidesque sepulcralia carmina praecinuerant.

Τοῦ συγγραφέοντος id est Sophronii

Τίς τάδ' ἔγραψεν; Σωφρόνιος. πόθεν; ἐκ Φοινίκης.

Φοινίκης ποιῆς; τῆς Λιβανοστεφάνου.

ἄστν δὲ ποῖον ἔναιε; Λαμασκόν. ζῶσι τοκῆες;

οὐ, θάνον ἀμφοτέροι. οὐνομα δ' εἶπε δύο.

5 μήτηρ μὲν τε Μυρώ, γενέτης κικλήσκειτο Πλύνθας.

εἶχε γάμον γλυκερὸν καὶ τεκέων ἀγέλην;
 οὐ γάμον, οὐ παῖδας σκέθε πάποτε, ἄζυγος ἦεν.
 πῆ γῆς μονάσας καὶ τίνος ἐν μελάθρῳ;
 ἐν χθονὶ Θειοδόχῳ καὶ ἐν οὔρεσιν Ἱεροσολύμων,
 10 ἐν μάνδρῃ μεγάλῃ Θεοδοσίῳ μεγάλῳ.
 καὶ τίσι τόνδ' ἐτέλεσε καὶ ἐνθετο θέσκελον ὕμνον;
 Κύρῳ Ἰωάννῃ μάρτυσι Θειονόοις.
 τίπτε δὲ τόσσον ἔτευξε νόον πόνον; οὐνεκα καὶ τοῦ
 ὄμμασι νοουσαλέοις δῶκαν ἀεστορήν.

in versu 2 poetice significatur Phoenice Libani quae volgo audiebat
 aut *Λιβανησία* aut ἡ παρὰ *Λίβανον*. v. 3 adhuc fertur *ποιόν*; *Ἐν αἷς*
Λαμιακός quod Maius semel atque iterum adgressus est emendare
 sine bono eventu. v. 5 *κικλέσκετο* legitur, 6 *τεκέων*, 8 *μονάσας*, 9
οὔρεσι (sequentis nominis prior pars bisyllaba fit per synizesin),
 11 *ἐτέλεσεν*, 13 *καὶ τοῖσι* sed ad Sophronium pronomen referri necesse
 fuit, qui ipse quoque martyrur expertus erat beneficium sanata
 oculorum suffusione, ex qua Asclepiadas non semel ait Homericam
 sibi caecitatem esse comminatos. inciderat in morbum Alexandriae
 in civitate martyrur, sanatus per somnia exsolvit promissam
 salutis mercedem scribendo in monasterio s. Theodosii in eremo
 Hierosolymitana (mirac. 70).

III Martyrius Adamantii filius quo tempore libellum de B et V
 scripserit (Keili gram. VII p. 136 165 ss.) adhuc latet. cognominem
 ex Symmachi epistulis iuvenem alii citarant, ego quarti vel quinti
 saeculi grammaticum dixi, cum glossemata ab eo prolata commen-
 tabar similemque Philoxeni glossis originem significabam huius
 musei XXXV p. 69. iam vereor ne ad sextum saeculum detrudendus
 sit, ad regum tempora Iustini et Iustiniani, consulis Philoxeni.
 ceteri eum omnes artis doctores ignorant, Cassiodorius anno 572
 inter orthographiae auctores adscivit sibi aequae atque Eutychem et
 Priscianum. exilem libellus doctrinam testatur, scriptura impure crispis
 motibus discurrit, paene honestior facta est compressu, fuit enim homo
 Asianus, Sardinus dicitur in Politiani codice. aetatis certius indicium
 unum reperio p. 175: *berna, quod nomen licet ego inveni per*
digammon scriptum, tamen quia illustris memoriae audivi Mem-
nonium, omnis hominem facundiae iudicem, se dicentem de hoc
reprehensum a Romano quodam disertissimo, ut per hanc enuntia-
verit litteram, nos quoque notamus ac temptamus rationem reddere,
 scilicet *bernam* esse τὸν *οἰκογενῆ*, *vernā* a vere hirundinem. verbis
 istis qui denotatur graecae latinaeque facundiae arbiter, fallor an
 pater Agathiae est Myrinaeus ῥήτωρ ἐξ Ἀσίης, ὄνομα *Μεμνόνιος* (A

Pal. VII 552)? eandem pater artem exercuit et filius qui se profitetur versari in legibus Romanorum forensibusque causis (hist. praef. p. 9 Bonn.), Agathiae honori cum statuum dicarent publice, pariter Memnonii memoria ornata est nobilitatis causa (APlan. app. 316). Agathiam Niebuhrius non ante annum 536 natum putavit, quod etsi infirma mihi videtur adminiculasse ratione, certe tamen pater eius cum Iustinianus regnare coepisset, etiam tum vitam coluisse censendus est. itaque in hunc convenire Martyrii signum si datur, scripsit is grammaticus eodem tempore quo Eutyches Prisciani discipulus aut adeo posterius, ut intervallum ab eo ad Cassiodori senectutem minime tantum fuerit quantum aevi humani terminis circumscribi solet. quod recens natus erat liber, hoc ipso eum arbitror Cassiodorio esse commendatum.

IV Christodorus poeta epicus qui Zeuxippi signa enarravit, cum aliarum urbium origines versibus celebravit tum *πάτρια Τράλλων* (Suidas). poema quidem periit sed rerum quae inerant particulam Agathias servavit hist. II 17 p. 100 ss. Bonn. ubi de terrae motibus disserit, a Beryto et Cois quibus calamitas illa anno 554 accidit digressus ad Trallianos quorum civitas imp. Augusti temporibus simili clade adfecta esset. tum Chaeremona quendam ad Augustum profectum esse in Cantabrorum terram, ibi enim circum litora Oceani belligerantem haesisse Augustum, ab eo Chaeremona auxilium implorasse, impetrasse ut homines et pecuniae mitterentur ad instaurandam exornandamque urbem. haec sic gesta esse *δηλοῖ μὲν που καὶ ἡ πάτριος τοῦ ἄστεως ἱστορία, οὐχ ἥμισυ δὲ τοῦ πίναγμα* quod ipse Agathias in agro Tralliano vetustissimae arae incisum vidit ac descripsit:

*κλασθείσας πάτρας σεισμῶ ποτε Κάνταβρον ἐς γᾶν
Χαιρήμων ἔπτα πατρίδα θυσόμενος,
Καίσαρι δ' εἰλιχθεὶς περὶ γούνασι τὰν μεγάλαυχον
ἄρθρωσε Τράλλιν τὰν τότε κεκλιμένην.
5 ἀνθ' ἧν συγγενὲς τοῦτο βρέτας, ὄφρ' ἐπὶ βωμῶ
οἶα δίκαι κτίσταν, τάνδε φέροιο χάριν.*

iteravi carmen ut commonerem de versu quinto, quem ita edidit Niebuhrius, ita exhibere libri videntur, quamquam ex Rehdigerano adnotatum est *συγγενὲς*, volgabatur olim *συγγενὲς οἶ*. quo modo interpretaris? an sic ut cognati pro meritis hominis divinum signum statuuisse dicantur? audi Hermannum Orphicorum p. 786 obloquentem Vulcanio qui coniecerat *τοῦθ' οἶ*: 'certe scribendum erat *τόδε οἶ*, sed non potuit omnino ita scribere poeta, cum Chaeremon, homo ut Agathias testatur, humili loco natus, non

videatur a cognatis suis impetrasse statuam, et quod gravius est, civitas ei, non privati hunc honorem decernere debebant. hoc ille verissime, licet quod ipse reposuit *σίγγνω οἷ τούτο βρέτας* nunc melius sit dimittere oblivione. conditoribus urbium honores Graeci tribuebant divinos, Chaeremon ut *κίστης* Trallium consecrata effigie cum ara inter deos urbis patrios conlocatus est. lege *ἀνθ' ὧν, συγγενεές, τούτο βρέτας*: hinc o (divi) indigetes, hoc simulacrum. ita *κίστας* esse appellatos proprie didici e Dionis Chrysostomi or. XXXIX p. 155 R. *Θεοὶ οἰκιστὰὶ καὶ συγγενεῖς καὶ προπάτορες*. non liquet de epigrammate Halicarnassensi Kaibelianae sylloges 782 *εἰ δ . . . καὶ πατρὶ ἐπέιγν' ἱερά, τῆς λαίης βαῖνε [δν'] αἱμασιέων· οὔτοι κάμ' ἐκάμοντο τὸν ἐν γονάτεσσι Πρίηπιον ἔργα τε καὶ βωμοὺς συγγενέων ἐφορᾶν*, quia lacunam variis modis explere licet, mihi certum est non patrem memorari aut Priapi aut alius sed patria sacra, itaque propono *εἰ δ' ἀστοῖς ἃ νόμος ἔξείνει καὶ πάτρι' ἐπέιγν' ἱερά*, deus deorum aras optimo iure *βωμοὺς συγγενέων* vocat. sed non minus recte homines *κίστην* quem consecrant et in deorum numero reponunt, commendant *τοῖς συγγενέσιν*. de terrae motu quae ex annalibus Trallianis Agathias rettulit, partem eorum confirmat Eusebius in chronicis qui Trallis terrae motu consedisce scripserat anno Augusti 17 (sic Hier., 19 Arm.) id est urbis 727. Augustus octavum et nonum consulatum a. 728 et 729 dum bellum adversus Cantabros gerit iniit Tarracone (Suet. Aug. 36), ibi tum ut Indorum ac Scytharum ita Trallianos legatos audiebat. Horatianorum carminum aliquot colores pulcrius enitescunt redacto in memoriam celebri hoc ac prodigiali terrae motu: *si fractus inlabatur orbis, inpavidum ferient ruinae*. tum adfuisse suspiceris poetae occasionem condendi carminis I 34.

V Denuo nuper legebam titulum sepulcralem quem Ameriae in Vmbria inventum et transcriptum ab Ambroschio ex Kellermann schedis Iahnus edidit speciminis epigraphici p. 138: *L. Mini tibi- cinis | Cassia uxor | L. Cassi Principis tibicinis | cappae*. legebam et haec meditabar: quam diu vixisti Princeps? at enim filiam habuisti quae te sepeliret et generum artis consortem ac monumenti. unde graecae litterae tibi nomen adhaesit? alpha paenulatorum audit Cordus amethystinatus, grammaticus paene omnium doctissimus beta, alius zeta *διὰ τὸ ζητηακόν*, non unus ob turpia labda: cur tu cappa? Cassiumne nomen causa fuit, quemadmodum Corneliorum tribus familiis graecum quondam aptatum est proverbium *τρία κάππα κάμισα*, an capistrum tibicinis, an ipse vigor flatuum, quoniam et etymologi *κάππα* scribunt dictum esse secundum vocem proflatam ex

puris infra linguam locis κατὰ ποῖον ἦχον, et ebrius homo qui vinum sic ut ecus aquam potet in Parmenonis mimiambis describitur σκυθιστὶ φωνῶν κοῦδὲ κάππα γυγνώσκων (Athenaeus V p. 221 a emendatus a Meinekio)? dic, et eris mihi magnus Apollo. est utique agnomen tibi, et ut primum datum sit per ludibrium, cum honore tuo hic repetitum est, neque enim morsus esses ioco nisi artifex fuisses paulo notior. haec ego mecum aut cum illo potius, cum repente in mentem venit lepidissimae fabulae narratae a Phaedro V 7: *Princeps tibicen notior paulo fuit, operam Bathyllo solitus in scaena dare.* non plura inde huc transferam, eo minus quod ad Cappae nomen expediendum fabula uti nescio, fertur autem Princeps Romanae nobilitatis favore florens ludis aliis ex casu gravi crus fregisse, aliis honorem principi datum cum sibi tribui putasset ita esse castigatus, ut albis Caesareae domus insignibus ornatus capite foras protruderetur. intellexi respicere Phaedrum ad eum qui sepultus est longe ab urbe. Eugenius Bormannus quaerenti mihi et formam tituli misit (tabula dimidia vacat ab scalptura, superiorem partem titulus tenet, in prioribus duobus versibus litterae palmum, in posterioribus praeter L principalem ac maiorem ceterae digitos tres aequant altitudine) et typos litterarum unde ipse viderem, et se censere respondit inscriptum esse monumentum Augusti aut Tiberii temporibus.

Caligulae adepto imperium imperitabant aurigae et gladiatores, ut ait Dio LIX 5, circensibus ille ac prasinatis usque ad insaniam favebat. plurimi fecit Eutychem agitorem, cui comissione quadam in apophoretis contulisse narratur viciens sestertium (Suet. Cal. 55). praepotentem hunc fuisse extremis Caligulae temporibus nulla re magis probatur quam iracundis Chaereae verbis, qui occiso Gaio cum imperatorem milites poscerent, ut hos derideret, daturum se pronuntiavit, siquis signum sibi ferret ab Eutycho, ἦν δὲ ὁ Εὐτύχος οὗτος ἠνίοχος τοῦ καλουμένου πρασίνου, περισπούδατος Γαίῳ, καὶ περὶ τὰς οἰκοδομὰς τῶν σιάσεων τοῦ περὶ ἐκεῖνον ἱππικοῦ τὸ σιραιωτικὸν ἐτίβητο ἀτίμοις ἐργασίαις ἐπιχείμενον, εἰς ἅπερ ὁ Χαιρέας ὠνειδίξεν αὐτούς (ex Cluvio Iosephus antiq. XIX 4, 4). potest idem esse qui Agrippam Iudaeum Caligulae amicam apud Tiberium Caesarem criminatus erat, Ἀγρίππα ἀπελεύθερος καὶ ἠνίοχος (Iosephus ant. XVIII 6, 5). Phaedrus Augusti libertus prima duo fabularum volumina cum in vita esset Tiberius emisit, in tertio cuius ordinem in codicibus turbatum ab editoribus vere restitutum puto, se queritur accusatore et iudice Seiano in mala maxima adductum etiamnum premi noxiorum insolentiis, celeri

auxilio sibi opus esse ne si differatur amplius, prius moriatur, saepe inpetrasse veniam confessum reum, tanto iustius eam dari innocenti: apparet peti ab eo cui tertius liber missus est finem calamitatis, sive relegatus Phaedrus fuit sive aliter libertatis commodis privatus (cf. prologi v. 40 et fab. 7). ille alienum a Musis vitae genus sequitur, non vacat a negotiis multarum rerum varietate districtus (praecedens versus, epilogi secundus sic erat emendandus *primum ne videar esse tibi molestior*), lucrum potius quaerit quam doctrinam, hunc libellum honori et meritis suis dedicatum fortasse ne leget quidem, incitatur autem adlocutione ut det quod promisit exhibitaeque vocis fidem, ut misereatur insontis ac precantis, ut decernat suoque iudicio confirmet Phaedri integritatem. *tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius, dein simili gyro venient aliorum vices*. iusto argutior sim, ex hoc ipso versu si colligam qualis homo fuerit, cui deditus studio. sed agnosci necesse est qui tanta apud principem potentia floruerit quanta Polybius et imperiosi quos probe novimus Claudii liberti, potentia brevi ac subita. Eutyclus huic Phaedri patrono nomen est, ego hoc volumen anno circiter 40 traditum esse contendo gratiose ac diviti equorum Gaianorum ipsiusque Gai moderatori. nam libellorum curam, quam qui habuerunt Claudio regnante huius generis preces solitos esse accipere Senecae et Scribonii exempla ostendunt, iam tum fuisse in aula constitutam incompertum est.

Phaedri ad Particulonem carmen IV 1 mutilatum et corruptum in libris fertur, primi versus fere hi:

cum destinassem terminum operis habere
 in hoc ut aliis esset materiae satis
 consilium tacito corde damnavi
 nam si quis talis etiam est tituli
 5 quo pacto damnabit quidnam omiserim
 ut illum ipsum cupiam famae tradere
 sua cuique cum sit animi cogitatio
 colorque prior ergo non levitas mihi
 sed certa ratio causam scribendi dedit.

multa veteres correxerunt evidenter aut probabiliter, quinti versus sententiam Orellius recte indicavit: 'quantopere aemulus meus sese iactabit in demonstrandis eis quae a me sint omissa'. adscribam versus emendatos

cum destinassem terminum operi statuere
 in hoc, ut aliis esset materiae satis,
 consilium tacito corde damnavi tamen:

nám si quis talis etiam est tituli mi invidus,
 5 quo pacto clamitabit, quidnam omiserim:
 ut illud ipse cupiam famae tradere,
 sua cuique cum sit animi cogitatio
 colorque proprius.

iam in versu 5 verbum sententiae maxime idoneum usuque Phaedri probatum lenissima mutatione repositum est. in priore *talis titulus* illud Phaedri erga alios meritum est quod satis materiae eis relictum voluit. hoc dissimulabit obtrectator, immo criminabitur Phaedrum quod plurima omiserit: ipse igitur iam cupit patefacere omnibus rem sic ut in animum induxerat suis verbis. perperam versum 6 Guyetus ceterique qui scribunt *cupiat* personae aemuli applicuere, quasi vero commendare eum Phaedrus debuerit cogitationis et coloris proprietate. fac memineris haec totque alia de livore malo verba illum Augusti libertum fudisse post edita fabularum volumina complura, ab Seneca autem ad componendas fabellas et Aesopeos logos Polybium Claudi lib. quasi ad *intemptatum Romanis ingenis opus* instigari etiam biennio post (cons. Polyb. 8, 27).

VI Si Columellae libros legis aut philosophiae studia attendis quibus rivolis per imperii romani nationes diffusa sint, non inutile tibi erit scire, quod avorum temporibus suboluerat non nullis, nunc nemo recollere videtur, propinqua cognatione iunctos fuisse Columellam id est L. Iunium Moderatum municipem Gaditanum, cuius patruus M. Columella illustribus disciplinis eruditus ac diligentissimus agricola Baeticae provinciae fuit (V 5), et Moderatum id est Iunium Moderatum Gaditanum Pythagoricorum auctorem a graecis scriptoribus memoratum. Columella de re rustica libros absolvit canus (XII fin.) Nerone principe sub annum 65, cum Moderati aliquo discipulo etrusco Romae cenavit Plutarchus sympos. VIII 7, 1 ut ipsum magistrum saltem Domitiano antecessisse scias aetate, prope aequalem gentili suo. Moderatus *Πυθαγορικῶν σχολῶν* ediderat volumina decem: sic enim *ἐν δέκα βιβλίοις* Porphyrius vita Pyth. 48, non *ἐν ἑνδεκά*, lege modo quae de denario numero tanquam perfectissimo Moderatus ibi ipse exponit, vide cognati scriptoris exemplum. quam ob causam etiam Stephani Byz. in *Γάδειρα* testimonium *τὰ πέντε βιβλία* reiciendum et ex divisione ampli operis bipertita aut e contractione derivandum censeo. horum librorum non ita exiguae extant reliquiae, omnes unius partis eius qua numerorum doctrina explicabatur, servatae et ad infimos scriptores propagatae Nicomachi ut opinor merito Geraseni. has colligere non libet, tantum moneo etiam ingenio scriptisque rustici auctoris quandam

cerni cum Pythagoreo illo consanguinitatem. nam etsi praeterit quae inquirere magis sit scrutantium rerum naturae latebras quam rusticorum, aliquotiens tamen sententias aut colores a philosophis petitos immiscet, de divino numine de aeternis legibus de spiritibus sacris elementis in homine mixtis cum terrenis primordiis sentit ac loquitur magnificentius, Democriti et Pythagorae in universa rerum natura sagacitatem admiratur, divinum auctorem Platonem vocat, Democriti sive Boli commentis utitur, *σὺζύγιας ἐναντιοτήτων* et *ἀντιπαθείας* tangit, minime aversatur superstitiones (velut certa dicit signa quibus taurus quem sexum generarit ex admissura comprehendatur, et notissimum in sacro monte Hispaniae frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse), caelestium rerum haud ignarus ediderat libros adversus astrologos improbasque Chaldaeorum pollicitationes, scripturum se promittit de lustrationibus et sacrificiis prisco more usurpatis. rem rusticam decem libris totam includere voluit ut in consummatione totius operis adnumeraretur velut proprii laboris particula decimus isque poeticus (IX fin. X praef.), coactus vero flagitantis amici pertinacia *numerum quem iam quasi consummaverat voluminum excessit et undecimum praeceptum rusticationis memoriae tradidit* (XI praef.), tum etiam vilicam vilico, duodecimum librum undecimo. subiunxit eamque peracto operi clausulam imposuit. *ἡ μὲν δὴ περὶ τῶν ἀριθμῶν πραγματεία τοιαύτη τοῖς Πυθαγορείοις.*

Columella III 8 de praecipuae staturae viris: *Cicero testis est Romanum fuisse civem Naevium Pollionem pede longiorem quam quemquam longissimum, et nuper ipsi videre potuimus in apparatu pompae circensium ludorum Iudaeae gentis hominem proceriorem celsissimo Germano.* rem eandem, mihi crede, Plinius quasi ex actis repetitam tradidit nat. h. VII 74: *Naevii Pollionis amplitudinem annales non tradunt, sed quia populi concursu paene sit interemptus, vice prodigii habitam. procerissimum hominem aetas nostra divo Claudio principe Gabbarum nomine ex Arabia advectum novem pedum et totidem unciarum vidit.* Iudaeum hominem Columella fortasse ideo dixit quod Gabarae et Gabarenorum frequentata Iudaeis nomina sciebat.

VII Plinius nat. hist. VII 210: *gentium consensus tacitus primus omnium conspiravit ut Ionum litteris uteretur. veteres graecas fuisse easdem paene quae nunc sint latinae indicio erit Delphica antiqui aeris, quae est hodie in Palatio dono principum Minervae dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali: ΝΑΥΙΚΡΑΤΗC ΑΝΘΕΤΟ ΘΗ ΔΙΟC ΚΟΡΗ* ita vacare a litteris chartam

Detlefsenus siit, Ianus δεκάταν ἀλεξιόδυνον ὠνάς lapidario id quidem ritu scriptum induxerat. in codicibus Iovis nomen hae fere notae excipiunt ΚΟΡΝΤ^υΝΔΕΚΑΤΑΝΗΔΔΕΞΙΟΔΔΙΟΝΟΝΑΕ. nil desperandum duce metro, nam manifesto duos tenemus trimetros, quorum etiam interpunctionem post κόρη codices referre videntur notula expressam insiticia. de principio alterius versus fuit cum putarem Iano addicere aves, multi enim graecae antiquitatis tituli supersunt decimae nomine inscripti. iam vereor ne fallant auspicia, vitium obvenit voce dorica, ΑCRATAN audimus ex Riccardiano, non ΔΕΚ-. etiam aliae litterae nos ludunt varia specie et quae huc atque illuc flecti possit, ex ultimis exsculpat quispiam ΔΑΙΜΟΝΩΝ γέρονAC. sed certissimum est in medio versu δέχεσθαι verbum, hinc proficiscendum emendantibus. itaque carmen aut tale accipe

*Ναυοικράτης ἀνέθετο τῆι Διὸς κόρηι·
ἢ δ' Ἐργάνη δέξαιτο διδόμενον τόδε*

aut ipse da quod melius congruat cum librorum notis. inscriptio quidem minime tam vetusta fuit quam visa est Plinio, Athenis opinor tripodem adlatum esse Romam, ibi et Nausicrates nomen volgare est et Operariam Minervam aerarii coluerunt inprimis.

VIII Liber de metris quem Marius Plotius Sacerdos composuit Romae docens — hunc enim quasi septenarium ille tertio artis grammaticae libro praeposuit (Keili gram. VI p. 496) — graecos versus multos exhibet sumptos ab Iuba et 'graecis nobilibus metricis', partim ex vetustis decerptos carminibus partim fictos in usum metricae disciplinae. qui versus omnibus modis depravati in codicibus feruntur, plerique autem ei qui restituere studet non nimium negotii facessunt, modo latinorum librariorum in graecis litteris depingendis morem ac solita errorum genera norit. Scaliger olim huic rei operam dederat felicissimam, ut adnotatio Keiliana docuit, postea paene nemo protulit tali exemplo et adulta arte et nostro saeculo digna, immo vero magnis nugis non solum Sacerdotem sed etiam Hipponactem poetasque alios videre licet ditatos. non nihil ego correxi, aliquid tamen relinquitur transacturo id quod iam tandem transigendum est. hunc scio non cavillaturum quod recte coepta non potui sic ut volui omnino perficere. [scripsi haec priusquam denuo editi sunt Bergkii PLG.]

p. 525, 18 iambici tetrametri acatalecti clodi exempla
ΑΝΑCΑΘΝΑΤΩΠΚΟΝΑΑΧΟYCΑΠΙΟΠΟΝΙΝCΟY *parumne campis*
atque *Neptuno superfusum dextris*. novissimus pes in hoc metro est *spondeus* ΑΙCCOY, *dextris*. incipit graecus versus ab ἀνασσα, hoc recte posuit Putschius, praeterea nihil quidquam inventum

esse vix credideris, quoniam vocabulorum omnium certa emendatio est excepto fortasse uno:

ἄνασσ' Ἀθηνᾶ τὸ Ἀτικὸν λαχοῦσα θεῖθρον Ἰλισσοῦ.

cave Ionici poetae carmen dicas propter *ἰατικόν*, nam Ἀθηνᾶ, non aliam formam libri cogunt ut accipias. fluvii nomen semel per unum sigma scriptum est, deinde per σσ. iam cetera eo ordine quo Sacerdos exhibet breviter persequar.

p. 510, 27 pentametrum dactylicum *quod semper quinque dactylis constat, quale est exemplum graecum illud ΔΕΙΜΟΝΑΜΦΕΑΗΝΗΠΥΩΜΕΝΟΝΩΑΗΤΟ*: inventa ab Scaligero aut clarissime in libris apparentia tenemus haec ἀμφ' Ἑλένη πεπρωμένον ὦλετο, nam imperite Ἑλένα aut Ἑλένας substitutum est nuper tanquam in lyrico versu. restat pes primus: tolle delta quod ex praecedente vocabulo adhaesit, lege ΕΙΛΙΟΝ id est Ἰλιον.

p. 511, 13 Keilius edidit χαῖρε ἄναξ ἔταρε ζαθέας μάκαρ ἦβας, quia apud Hephaestionem ita versus scriptus est. sed ne ibi quidem ἔταρε consensu confirmatur librorum quorum pars ἔταρα habet, nec Sacerdoti obtrudi oportet alius auctoris testimonium, praesertim quod minime praebat speciem integritatis ipsum. Sacerdotis libri ΜΑΚΑΡΕΖΖΑΕΑC, Scaliger μάκαρ ζαθέας optime, nisi quod oblitus est intericere ᾧ: repetitur nomen ut explanetur visque eius intendatur per lusum non absimilem illi Callimacheo ἐστὶ ᾧ νήσων ἐδέσαε. Hephaestio haud scio an μάκαρ ᾧ scripserit.

p. 517, 6 hymenaeici dimetri Sapphici exempla graecis litteris duo contineri Gaisfordius intellexit, tamen in editione alterius ne describere quidem ausus est quas litteras codices plane integras servarunt ᾧ τὸν Ἀδώνιον. prius exemplum Bergkii et Keilii fecerunt Ὕμεν Ὕμήναον. at codices ΥΕCΖΡΥΜΗΝΙΟΝ id est φέσπερ ὕμήνιον, nam υ saepe in locum venit aeolici digamma. quem versiculum non fictum esse sed ex Sapphico carmine depromptum etiam oratio ostendit imperfecta.

p. 520, 20 Hipponactei dimetri acatalecti exemplum χαῖρε ᾧ Λεσβία Σαπφώ. cuius vitium Keilius grammatico tribuendum censet deceptus opinor interpretatione latina, quae quod alienissima est ab hoc metro, non potest ab Sacerdote esse addita *salve o Lesbia Sappho*. rectius Putschius χαῖρ' ᾧ σύ. codices ΧΑΙΡΕΘΔΕΖΕΒΙCΔΦΩ, restituendum χαῖρ' ᾧδὲ Λεσβία Σαπφώ. nimirum recordabatur qui hoc lusit metricus τὸν τῆς παροιμίας Λέσβιον ᾧδόν.

p. 521, 5 trimetri iambici brachycatalecti exemplum ΔΚΡΕC μὲν οὐκέτ' ἐστὶν οὐδ' ἕχρος: sic praeter primum verbum cetera

reparavit Scaliger. illud in Leidensi codice tale fertur ΔCKIC, paullo post ubi versus repetitur plenior, in Valentiano ΔCKPEC, in Leidensi ACKPIC. has litteras contemplare neglectis litteratorum hominum commentis: numquid dubitas legere Ἰασκρης? urbes regiones terrae saepe adsumuntur in exempla metrica, ut a Iuba in ionicos *ipsa est Chios, ipsa est Samothrace*. urbs patria Hesiodi funditus perierat Heliodori temporibus. Pausanias IX 29, 2 Ἰασκρης μὲν δὴ πόλις εἷς ἐπ' ἑμοῦ καὶ ἄλλο οὐδὲν ἔλειπετο ἐξ μνήμην. itaque statim trimetrum acatalectum ubi implet auctor sermone usus restrictiore ait οὐδ' ἔχνος βαθεύ, hoc enim Putschius et Keilius probabiliter effecerunt ex ΒΔΘΕ aut ΒΕΕ.

p. 521, 15 trimetri iambici catalectici exemplum ΑΝΤΩΤΙΜΟΥΥΔΑΠΡΟΟΜΗΟΝ, coniungo enim duorum codicum scripturas ita ut imaginem archetypi repraesentem. huic versui si erit addita in fine syllaba, iustus fiet trimeter ΔΝΤΟΝΙΝΟΤΙΜΟΥΥΔΑΠΡΟΟΔΔΜΙΟΔΤΟΟ vel ΠΡΟΟΔΔΕΟΔΤΟΟ. quod unum non est in propatulo videre, id Scaliger pervidit, recentiores quia non curant codicum litteras, pro illius sapientia sua somnia amplexantur. relatum est a grammatico carmen hoc Ἀντωνίω τι, Μοῦσα, προσλάλησον et Ἀντωνίω τι, Μοῦσα, προσλαλήσάτω. quemadmodum Sacerdos ad Maximum scribens de metris inter alia exempla pentametrum hunc fudit *accipe carmina nunc, Maxime, iussa tua* p. 509, 24, ita auctor graecus Antonio Musam suam blandiri aliquid garrientem voluerat. simile continuo sequitur carmen p. 522, 13 Δίδυμός ποθ' ἡμῖν περιτυχῶν ὁ μουσικός. qui Didymus quoniam idem videtur esse quem Suidas in aula Neronis versatum esse tradidit, Heraclidæ f. grammaticus μουσικός λίων καὶ πρὸς μέλη ἐπιτηδεύς, colligemus fere Neronis et Caesi Bassi temporibus aequalem esse hanc graecorum exemplorum copiam totam vel adlectorum ex antiquioribus libris vel tum recens natorum. de Antonio isto sciri nunc nihil potest.

p. 523, 5 trimetri Hipponactei duplicis clodi est exemplum hoc ΔΝΔΒΙΟΟΠΔΔΝΗΤΙ προσπταίων κώλω. extrema Putschius dedit, tum manifestum est ΠΑΑΝΗΤΙ, deinde βίος de quo solent sententiae proponi cum in omni ludo litterario tum in metrica disciplina, cf. p. 526, 9. quae praecedunt litteras varie adgressus sum interpretari, abieci ἄνου et alia multa, interim hoc habeto dictum θανάτω βίος πλάνητι προσπταίων κώλω. finxisse id aliquem metricum et vitae mentio ostendit et detexta pedis clodi vocabulis oratio (προσπταίωσας ποδὶ χολῶ).

p. 524, 4 temere mutarunt librorum scripturam, quamquam detertere eos debuit repetitum in p. 526, 18 ΦΑΛΛΟΥ. revocanda illa

ὁ Πύθιος μὲν ὀμφαλοῦ θεὸς ἦαρ' ἔσχάραϊς.

item p. 525, 1 editores εἶδω τρυφερόν et cetera, quater mirabile illud εἶδω, at libri quater εἶδω recte, etsi illud εἶδω ἀγαλμα bis ferunt per errorem omisso membro tertio, quod ad supplendum multa verba suppetunt et multo commodiora quam ἀπαλόν.

p. 525. 3 ὁ μῦς διέφαγε τὴν παγίδα, τρυῶν λεπίδα κακῶς μαισᾶται Keilius, ΤΥΡΟΔΕΠΙΚΑΚΩΣΜΑΝΜΑΝΗΤΑΙ codices. hoc est sine dubio τρυῶν sive τρυῶ δ' ἐπὶ κακῶ. requiritur praeterea ditrochaeus. nescio an συμμέμνηται homo versificus scripserit idem sibi licere ratus quod lyricis quibusdam ut corripere syllabam ante μν. verbum hoc peraptum est, sic enim loquebantur ἐπὶ κακῶ aut ἐπ' ἀγαθῶ τινος μεμνήσθαι. minus placet τρυῶν συμβέβληται.

p. 526, 9 in versu cinaediambico ΤΑΧΥΣΕΜΕΤΑΜΤΥΧΗΒΙ-
ΟCΤΟΝΜΑΙΝΕΤΕΠΡΟΒΑCΑ vide an particulam veri invenerim: ταχὺς ἔπειτα Τύχη βίος quo illa ducit προβάσα. neque enim obstare arbitror huic emendationi ex qua primum metrum quinque syllabas habet, quod grammaticus prioris hemistichii pedes tetrasyllabos dicit latinumque exemplum adponit *fractosque remos differat*. tertium metrum hexasyllabum dicitur ex tribrachy et dactylo constans ut τότε δ' ἐμαίνετο, latinum hemistichium est *zephyrus arduus verendus*.

p. 526, 14 τὸν Πύθιον τὸν Δῆλιον ὃν ἔτασσε βίχορος sic editur, Keilius ultimo verbo praefixit corruptelae notam. sed verissime Is. Vossius σέβει χορός. statim quartus pes tribrachyn habere narratur ΛΙΟΝΟ quod male mutatum est ab editore in λιονον, quintus igitur pes fuit ΝΕΓΛΑC. nihil aliud latet quam ὁ μέγας.

p. 527, 9 dimetrum iambicum acatalectum Archilochium plenius et melius Leidensis codex quam Valentianus praebet, ille tale ΦΔΒΟΥΛΟCΕΙΘCΘΙΛΟΙC, hic omisit ΕΙ et in clausula ΘΥC id est ΟΥC habet, alia nulla est quae ad archetypum attineat discrepantia. legendum ἄβουλος εἶ. θεὸς φίλοις. nihil mutavi, nam θεός solet duabus illis litteris significari et Θίλοις qua corrigatur littera in margine olim aut extra versum adposita etiamnum extat. at di boni, qualia portenta hinc nata sunt et supposita Archilocho.

p. 529, 17 trochaicum dimetrum colurum ΜΗΜΕΤΩΛΕ-
ΦΕΙΤΕ. interpretatus est Keilius si non vera, at credibili tamen ratione μή με τῶν δ' ἐφῆτε, ego respiciens ad alterius codicis scripturam ΜΗΜΕΙ-ΤΩΔΕΥΤΕ putabam ex celebri Anacreontis carmine exemplum hoc esse derivatum μή με πᾶλε φεῦγε. ithyphallicum hoc metrum dictum est *quod hoc sono cantantes Athenienses Libero patri φαλλόν id est fascinum virilem Ἴθρονον id est cibant dicentes εἶθε μ' ἰθύφαλλε*. id quem non offendet ephymnium? codices

ΕΙΘΔΜΕΕΙΘΥΦΔΜΕ, lege *dicentes ei φάλλέ εἰθύφαλλε*. memorabile hoc testimonium, pro Fascino volgus metricorum Bacchum substituit duce Caesio p. 255, 6.

p. 529, 27 trimetrum trochaicum clodum οἱ θεοὶ τὰ κοινὰ Ταντάλω δόντες. apage Tantalum et quas ad sustinendum Tantalum adhibuere machinas, nam in libris invenies ὧ θεοὶ τὰ δεινὰ πάντα μοι δόντες.

p. 540, 1 ionicus pes fit compositus ex proceleumatico et pariambo ΕΛΙΚΟΣΠΗΤΔΛΗ: hoc non est quod Putschius esse voluit *ἐλικοβλέφαρε*, non quod Keilius *ἐλικοπλόκαμει*, sed est *ἐλικοπέταλε*, sumptum a frondibus Bacchum ornantibus, cf. quae secuntur *καλλιπέλαδε* et *φιλοχορευτά*.

p. 545, 7 *Susarionium fit quattuor pedibus trochaicis praepositis et subiuncto penthemimerico dactylico* ΖΩCOTYΠOTINNAΠOIKONHTHTETTYPION *machina trahit carinam solvitur acris hiems*. in codice altero versus talis legitur ΖΥCOTIPΔTINNAΠOIKONTA TETOTYPION, adscripta praeterea post K supra versum e littera. Putschius immani licentia *χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν τὰν θέμιν οὐρανίαν*. ego tibi recipio scripsisse illum quicumque fuit

Ζεὺς ὃς Ἐδρώπην ἀπ' οὐκῶν ἤγαγε τῶν Τυρίων

licet ambigas utrum ὅτε an ὅς praestet, de cetero cave tantulum demutes si fidem quaeris, non fucum.

IX Tractavit Th. Homolle *Bulletin de corresp. hellénique* VI p. 1 ss. rationes relatas incisasque lapidi a pontificibus Deliis, animadvertitque p. 137, quoniam rationes extent aliae alio tempore confectae, in his nonnumquam donum sacrum signumve unum et idem dissimiliter ac diverse describi. velut corona aurea a Lysandro Lacedaemonio dicata in vetustiore tabula scribitur vitea esse LXXIX drachmas pondo, in recentiore querna LXXII dodrantem pendens. et pondus quidem facile adrodi potuit tempore, quod edax rerum est et vocatur, non potuit vitis mutari in quercum, sed enim folia aurea aut speciem prae buisse variam et ambiguam consentaneum est aut ex arbitrio spectantium nomen traxisse vel hoc vel illud. ecce aliud exemplum ac magis memorabile. patera quam Ctesylis Iliithyiae donavit, in rationibus sub annum 180 a. Ch. scriptis (p. 34 versu 50) *φιάλλη καρνωτή* dicitur id est *καρών* sive iuglandium sculpturis ectypis ornata (cf. Athenaeus XI p. 502 b), eadem in rationibus quae propius absunt ab anno 300, *φιάλλη ἔκτυπα ἔχουσα Περσῶν πρόσιονα*, ut Homollius interpretatur p. 110, capitibus ornata Persarum. rogas qua re haec evenerit discrepantia? ego sic opinor: pontifex aut scriba, quod *καρύα* quaedam arbor e Persarum regno in Graeciae oras dispersa

Περσική appellabatur (Theophrastus h. pl. III 6, 2 al.) et *Περσικά εἶδη καρῶν* (ita Hesychius), cum pateram legisset vel audisset efficta *ἔχουσιν Περσικά*, iuglandes has esse ignorans ut quae Graecis etiam tum parum notae essent, signum transfiguravit in *Περσῶν πρόσωπα* errore non ita damnoso sed nimis iocoso.

nuces hae eadem basilicae dicebantur, ut multi narrant, satis habeo Plinii verba iterasse hist. n. XV 87: *optimum genus earum Persicon atque basilicon vocant et haec fuere prima nomina*. Sueium poetam in Moreto Macrobius sat. III 18, 12 hos versus posuisse refert:

admisce tua ca basilicis haec nunc partim,
 partim Persica quod nomen sic denique fertur
 propterea quod qui quondam cum rege potenti,
 nomine Alexandro Magno, fera proelia bello
 in Persas tetulere, suo post inde reventu
 hoc genus arboris in praelatis finibus Grais
 disseruere novos fructus mortalibus dantes.

de primis ac depravatis verbis si quidquam statuere volumus, hoc pro certo habeamus oportet, pronuntiasse romanum poetam id ipsum quod sic Dioscorides *κάρνα βασιλικά ἃ ἔνοι Περσικά καλοῦσιν*, sic Pollux *κάρνα Περσικά ἃ νῦν βασιλικά*. atque inferiora illa *cum rege potenti* apte respondent *basilicis* vocabulo. melius igitur Salmasius Plin. exerc. p. 422 a quam qui nostra aetate ad emendanda haec ita animum appulere ut ex *basilicis* siliquas excernerent aut silices. ego haud scio an sententia numerique simul hoc modo possint redintegrari *admiscet bacam: βασιλέως haec nomine partim, partim Persica, quod nomen fit denique, fertur propterea*. et sit quidem adscitum ex Bambergensi codice in *fit* correxi: respicit Sueius nomina cetera quibus ad exemplum Graecorum licuit uti vocantium eas nuces Ponticas Heracleoticas Sardianas (Plinius XV 88, Athen. II p. 53 et 54 al.), quorum omnium causa fuit ab Asiaticis seminariis propagatio.

Franciscus Buecheler.